

1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



1689.

1. Ammann, Paulus, Rec. met. provinciarum: ad actum
solemnem Johannis Casparis Brunnii invitat
2. Bartheis, Godefridus: De eo, quod iustum est circa
pactum executionem
3. Bartheis, Godefridus: De testamento Comiti oblato.
4. Bohner, Johannes: De damnatione hypothecariorum.
- 5^{ta} Bernius, Jacobus: De eo, quod iustum est circa
molestationem, maxime in provinciis Saxonicis
2 Sumpt. 1689: 1714.
6. Cyriacus, Johannes: De arte naturalis annularum
7. Eber, Joh. Volpert: De perfidia.
8. Fonne, Godefridus: Utrum res aquis submersae
derelictis sint edicendae?
9. Hilscher, Paulus Christianus: Oratio pictorum circa
nativitatem Christi
10. Mijus, Godefridus Nicolaus: De mancipiorum Turcorum
manumissione baptismis implenda

1689.

11. Marguart, Gabriel Christophorus: De cura Romanorum
circa incendia.
12. Nylius, Andrus: De remissione poenae.
13. Philippus, Fridericus: De remissione legis
14. Rechenberg, Adam: De religione armis ipeasa.
15. Rechenberg, Adam: De sermone Electorum Germaniae
favore in literas et scholas.
16. Redel, Carol. Andrus: De defensione bonorum et veris
aggressorum.
17. Schreterus, Christophorus: De damnatione memoriae
18. Svenden daerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: De
visu juridico
19. Svenden daerfferus, Barthel. Leonhardt: De jure
publico Romano. Germanico moderno in icone sua.
20. Semidius, Job: De pacti metu extorti obligacione

1689.

2. Suppl. Cornelii Samuel : De conseruatione funditus
veterans

ACADEMIA LIBRENSIS
D. PAULUS AMMANN
LECTURIS



6305

1689, 3

B. C. D.
 DISSERTATIONEM JURIDICAM
 De
TESTAMENTO
COMITI
OBLATO

Permissu inclytæ Facultatis Juridicæ
 Lipsiensis,
 SUB PRÆSIDIO
 DN.

GOTHOFREDI BARTHII,

J. U. D. & Practici,
*Præceptoris sui multis nominibus
 devenerandi,*

ad d. I. Novembr. Ann. M. DC. LXXXIX.

solemniter proponit
 AUTOR

JOHANNES Hammer/

Greiff. Siles.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
 Typis CHRISTIANI GOEZI.



Illustrissimo Comiti ac Domino,
DOMINO
JOHANNI ANTHONIO
de Schaff-Gotsch/

Sacri Roman. Imperii Semper Frey, Do-
mino hereditario in Greiffenstein/ Kynast/
Biersdorff & Boberdorff/ Baroni
de Trachenberg/ &c.

DOMINO SUO GRATISISSIMO

Dissertationem hanc Academicam

humillima mentis devotione


offert

Subjectissimus Ejus servus,

JOHANNES Hammer.

In Nomine
Domini nostri JESU CHRISTI!

PROOEMIUM.



Introducitis in hunc terrarum orbem dominiis distinctis, liberam cuiilibet concessam esse facultatem res suas alienandi nemo facile inficias ibit. Ea nimirum pleni Domini consistit natura, & tunc demum res verè, & cum effectu propria venit dicenda, si penes me quoque jus est alienandi. Cum verò probante Grotio *a)* testamentum sit alienatio in mortis eventum, non Romanis tantum, sed antiquioribus etiam gentibus jam jam usitatum, haud difficile inde licet colligere ortum illorum J. G. deberi. Quamvis enim negari haud queat testamentis certam subinde à Jure civili superadditam & præscriptam formam esse, variasque accessisse solennitates, nos tamen in sensu latiori, quatenus quaecumque sub se comprehendit Voluntatem ultimam acceptum h. l. volumus. Ratione verò istarum solennitatum à Jure Civili inventarum & additarum varia quoque exortæ sunt divisiones. *b)* Non tamen instituti nostri exigit ratio omnia è Jure veteri testamentorum genera hic adducere, sed sufficiat præcipuas è Jure moderno allegasse species. Sunt verò testamenta alia privata, alia publica. Illa dicuntur, quæ Authoritate privata constant, & nomen suum sortiuntur vel à persona quæ testatur, vel à testandi modo; hæc verè subsistentiam suam ex Authoritate publica recipiunt. Vel enim conficiuntur à Principe, Rege aut Imperatore ipso, & tunc, omissis licet omnibus solennitatibus propter eminentiam condentium, qui legibus Civilibus soluti sunt *c)* sustinentur; vel à privato Judici aut Principi insinu-

antur sive offeruntur, quæ secundum famosam *l. 19. C. de Testament.* ipsam Principis conscientiam tenere dicuntur, nullisque aliis opus habent subsidiis. *d)* Atque inter hæc refertur quoque Testamentum Comiti oblatum, quo de *h. l.* quantum imbecillitas ingenii permittet, sumus acturi. Imploramus autem humillimè sanctissimum Numen, ut divina sua gratia nobis adistere cœptisque nostris ex alto benedicere velit, quo omnia in No. ninis sui gloriam, proximiqve emolumentum, cedant.

a) l. 2. c. 6. §. ult. de. F. B. & P. b) vid. t. t. Instit. de Test. ord. Conf. Comment. ad h. t. c) l. 31. ff. de LL. d) Conf. Dn. Stryck. Diss. de Test. Princip. vel Judic. per Procurat. oblat. §. 7. & 9.

CAPUT I.

De Etymologia, Origine & Definitione hujus generis Testamentorum.

§. I.

ANtequam Tractationem ipsam aggrediamur, haud inutile erit Etymologiam vocabulorum huc spectantium brevissimis exponere.

An testamentum rectè dicitur testatio mentis?

cur Stoicos precisè?

§. II. Primo loco igitur sese offert vocabulum testamenti, quod Imperator *a)* ex eo appellatum dicit, quod sit testatio mentis. Et quamvis non negandum, esse vocabulum simplex à testatione deductum, *b)* hancqve notationem à Grammaticis *c)* passim reprehendi; sequutus tamen Imperator hac in parte est Philosophos Stoicos, cumqve iis non vocabulum solum testamenti, sed rei potis ipsius naturam perpendens, Juridicam magis quam Grammaticam tradidit Etymologiam. *d)* Ita enim omnino testamentum nihil aliud est, quam contestatio mentis defuncti, non quævis quidem, sed legalis, sed solennis, quemadmodum nimirum post mortem suam fieri velit. *e)*

§. III.

a) Pr. Inst. de Testam. ord. b) vid. Ludvvell. de Ult. Volunt. Part. II. c. 1. c) Gell. l. 6. Noct. Attic. c. 12. Laur. Vall. l. 6. elegant. c. 36.

d) *Conf. Vultej. Comment. ad pr. Inst. de Test. ord.* e) *Conf. Greg. Tholosan. in Syntagm. Jur. Univ. lib. 42. c. 2. n. 3. fol. 825.*

§. III. Sequitur nunc vocabulum Comitum, quod à præpositione cum, & verbo eo derivatur, ut ita dicantur à comitari *Comes unde dicatur?*

a) quasi qui in comitatu Imperatoris sunt, eumque sequuntur & comitantur. Cum verò Imperatores ex suo comitatu probatissimos ad regendas provincias ablegare solerent, illi retento Comitum nomine in suis officiis, regendò, judicando scilicet, effecerunt, ut Comes idem diceretur quod Judex. *Origo Comitum.*

b) Unde & diversimode pro qualitate nimirum loci, cui regundo præpositi erant, Comites illi appellati sunt; alii Provinciales Land-Graffen/ alii Marchiones, Marg-Graffen / h. e. Judices Marcarum seu limitum Imperii; alii Sacri Palatii seu Palatini, Pfalz-Graffen/ alii Burggravii Burg-Graffen/ i. e. Burgo, seu arci cuidam præfecti. c) Et cum postea Provincia, quibus Comites illi, ceu Judices præerant, infeudari & Jure hereditario cum dignitate regali transferri cœperint, nomen illud remansit d) Vocantur autem Germanicè Graffen / vel à gravitate,

vel à robore & potentia Graff pro Krafft/ vel quod magis probabile, ab antiquo vocabulo Germanico Grasse / quod Judicem nativa sua significatione denotat, ita enim glossa ad Land-Recht. e) Ein Grasse aber bedeutet nach altem Sächsischen Deutschen/ einen Richter. f) Atque in hoc significato hodiernum adhuc Halæ Saxonum dicitur der Salz-Grasse/ Judex Salinarum & Salis coctorum, der Hallorum ihr Richter. *Quid vox Grasse significet.*

g) *quid Salzs Grasse.*

a) l. 15. §. 16. ff. de Injur. b) 1. Feud. 26. pr. add. Limneus de Jur. Publ. Tom. I. l. 4. c. 4. n. 3. c) Carpzov. ad Leg. Reg. cap. 3. sect. 13. n. 31. f. m. 92. Struv. Synt. Jur. F. c. 3. aph. 7. n. 18. seqq. p. m. 104. d) Theod. Reinking. de Regim. Sec. & Eccl. L. I. class. 4. c. 14. n. 19. e) ad l. 3. art. 53. f) Wehner. Obs. Pract. in voce Grasse p. m. 194.

§. IV. Nobis hic de illis Comitibus sermo est, qui de Comitibus Imperii investiti sunt a). Atque hoc si immediate ab Imperatore factum fuerit, sola investitura hanc dignitatem consequuntur, nec opus est, ut nominatim & peculiariter in

Duces creentur, adeò ut à Ducatu Dux, non à Duce Ducatus
 dicatur. *b*) Id quod Jure Feud. Saxonico confirmatur *c*) in
 verb. Es höhet nichts des Mannes Schild/ noch seinen Adel/
 denn allein Fahnen-Lehen/ ob ihm des geliehen wird. Et hi
νατ' ἐξοχὴν S. R. Imperii Comites, des Heil. Röm. Reichs
 Graffen/ oder Reichs-Graffen audiunt, & sunt Status Imperii,
 inqve Comitii sessionem & votum habent. *d*) Sunt autem in
 duplici differentia. Alii enim dicuntur *Gefürstete Graffen* /
 item *Fürsten-mässige* / qui territorium habent, ob capacitatem
 titulo Principatus insignitum, cujusmodi perhibentur Comites
 Habsburgenses, Tirolenses (quos Duces Austriae) Henneber-
 genses (quos Saxoniae Duces) Mompelgardenses, quos Duces
 Würtembergenses repräsentant. *e*) Alii simplices tantum,
nicht-Gefürstete Graffen. Sin verò non immediate ab Impe-
 ratore suos Imperii Comitatus in feudum recognoscant, sed ab
 Electore aliquo vel alio Principe inferiore per modum forte
 subinfeudationis aut alium acceperint. *f*) Hi, si, quod præ-
 supponitur, per se jam jam illustres h. e. Comites nati vel ab
 Imperatore creati fuerint, Imperio quidem in personalibus
 immediatè subsunt, & solum Cæsarem vel Cameram Judices
 habent, non tamen Status Imperii reputantur *g*) & in causis
 feudalibus (in Electoratu autem Saxoniae etiam in non-feuda-
 libus) *h*) Principem, subfeudi Dominum, illiusq; Curiam pro
 competente agnoscere debent. *i*) Quod si autem Comites
 non fuerint, licet de Comitatu à Principe aliquo subinfeuden-
 tur, Comites tamen propterea non fiunt, quia jus Comites cre-
 andi Summæ tantum Majestati reservatum est; adeoq; tales in
 Comitatu magis, quam Comites esse dicendi sunt, germanicè
Inhaber der Graffschafften. *k*) Hos posteriores, cum chara-
 ctere necessario, atq; sic etiam autoritate & fide verorum Co-
 mitum destituantur, intellectos hic minime volumus; sicuti
 nec illos, qui Titulares seu Codicillares tantum sunt, ob defe-
 ctum scilicet Regalium & Jurisdictionis territorialis, quæ hic
 vel

quinam
Reichs-
Graffen/ &
Gefürstete
Graffen.

de Titulari-
bus.

vel maxime requiritur. l) Vocabuli *oblatum* Etymologiam, utpote plus quam notissimam lubenter hic omittimus, ad alia potius perrecturi.

a) *Conf. 2. F. 10.* b) *Casp. Bitsch. in Comm. Jur. Feud. L. 2 t. 10. not. 4. p. m. 274.* c) *Weichbild L. I. c. 21.* d) *Tob. Paurmeister. de Jurisd. Imper. Rom. L. 2. c. 2. n. 25. p. m. 343.* *Theod. Reinking. de R. S. & Eccles. L. 1. class. 4. c. 14. n. 36. & 37. p. 404.* e) *Limn. Tom. I. l. 4. c. 4. n. 92.* f) *conf. Carl. Scharfchm. in not. ad Justi Sinholt. cognom. Schützens Jus Publ. Exerc. 8. th. 7. lit. B. p. m. 640.* g) *Recess. Imp. de An. 1548. §. 66.* *Wierwohl auch.* h) *teste observantia Curiarum Provinc. Saxon.* i) *Limn. Tom. II. l. 4. c. 4. n. 93.* k) *vid. Reinking. de R. S. & Eccles. Lib. I. class. 4. c. 14. n. 46. & 50. p. m. 407.* l) *infr. c. 2. § 2.*

§. V. Priusquam verò definitionem tradamus, dispiciendum, unde hoc Testamentum Comiti oblatum originem suam traxerit, quisque Author illius fuerit? Diversas in partes quo ad decidendam hanc quaestionem abeunt Doctores. Dn. D. Hammer/ Profess. Altorfin. in *Disp. de Testam. implicito a)* & Reusnerus b) Theodosianum illud vocant, eoque ipso Theodosium pro Authore hujus testamenti agnoscunt, Dn. Stryckius verò c) nullum certum determinat Authorem, nec ab Inscriptione *l. 19. C. de Testam.* firmum aliquod deduci posse existimat argumentum, quin relativè potius quam dispositivè de hoc testandi modo in illa agi. Nos cum Dn. Tabore d) Honorio illud principaliter adscribimus. Et hoc quidem ob duplicem rationem (1) quia Constitutio hæc *scil. l. 19. C. de Test.* qua genus hoc testamentorum introducit, Ravennæ publicata, ceu patet ex Subscriptione hujus legis, ubi Honorius sedem Imperii Occidentalis fixerat, Imperante interea Theodosio in Oriente, (2) quia in *l. i. inter Nov. Valent. tit. 4. de Test.* dicta constitutio, per verba: *Jamdudum quidem Avunculus noster & c.* expresse Honorio assignatur.

a) *§. 11. p. 13.* b) *Reusn. de Test. P. IV. c. 18. n. 2.* c) *in disp. de Test. Princip. l. Judici per Procur. oblat. §. 11. p. m. 13.* d) *vid. ejus disp. de Test. Princip. aut. Comit. oblat. c. 1. thes. 3. & 4. c. 6. thes. 2. & 5.*

§. VI.

§. VI. Occasionem autem hunc testandi modum introdu-
cendi Imperatoribus sine dubio turbulentus Reipublicæ Ro-
manæ dedit status. Afflictiſſimis enim iſtis temporibus, ubi
Gothi ſub Attalo totam ferè Italiam miſerum in modum deva-
ſtabant, imò ipſam urbem Romam capiebant, haud integrum
erat Civibus Romanis omnes à Jure præſcriptas testamento-
rum obſervare ſolennitates. Antiquus verò modus testamen-
ta publica conficiendi, quæ Calatis fiebant Comitibus cujuſque
in locum, translato per legem Regiam in Principes univerſi
populi jure, genus hoc testamentorum ſucceſſit a) diu jam in
deſuetudinem abierat b) Communis igitur civium utilitas
imò penè neceſſitas exigere videbatur, ut turbulentis hiſce
temporibus nimix Juris ſcrupuloſitates & ſolennitates rela-
xarentur & præſcinderentur. c) Hiſce itaque ex cauſis Im-
peratores permoti hunc testandi introduxerunt modum, quo
quis Ultimam ſuam voluntatim ſimpliciter, nullis plane adhibi-
tis teſtibus, Principi aut Comiti offerre poſſit, ita ut poſt trans-
latam à populo in Principes poteſtatem Regiam d) hi vicem
totius populi, veluti teſtium in Calatis Comitibus aliàs adhiben-
dorum, ſuſtinere debeant.

a) vid. Ludvvell. *de Ult. Volunt. Part. II. c. 1. §. 4. p. m. 187.* b) §. 1. *Inst. de Testam. ord.* c) Conf. Dn. Tabor. *d. Diſp. c. I. §. 6. & c. 6. §. 7.*
d) *l. 1. ff. de Conſt. Princip.*

§. VII. Quibus præmiſſis nunc progredimur ad definitionem
hujus generis Testamentorū. Hanc nobis ſuppeditat Dn. Tabor
a) illud definiens, quod ſit Testamentum privilegiatum, quo
Teſtator ſine ulla ſolennitate Comiti ultimam voluntatem
precibus offert, ut ejus fide & Authoritate ſuſtineatur. Occaſi-
one igitur hujus Definitionis conſiderandum nobis obveniet
tum Subjectum & Objectum, tum etiam forma & finis. Quibus
ſuperaddemus effectum & affinia, tandemque ſubjiciemus
contraria. De ſingulis in ſequentibus ſeorſim.

a) *in d. diſp. de Testam. Princip. vel Comit. oblat. c. 6. theſ. 3.*

CAP. II.



CAPUT II.

De Subjecto.

§. I.

Primo loco de Subjecto agamus. Aliud vero est *Quod*, ali- *Divisio Sub-*
ud Cui. Et cum duæ personæ ad confectio- *jecti.*
modi testamenti requirantur, Testator nimirum & Comes, du-
plex inde Subjectum *Quod*, vel offerens scilicet, vel recipiens
est. Illud quivis testamenti factionem habens; hoc Comes
constituit.

§. II. Et quamvis *in l. 19. C. de Testam.* solus Imperator nomi- *An solus Im-*
netur qui possit recipere testamentum, atque sic talis videatur *perator reci-*
requiri recipiens, qui nullum superiorem recognoscat, ex men- *pere possit?*
te Ernest. Cothmanni, *a)* nihil tamen prohibet quo minus
hanc potestatem, testamenta recipiendi, etiam aliis Imperii Sta- *etiam Comes.*
tibus, & in specie Comitibus concedamus. *b)* Propter superi- *Cur?*
oritatem nimirum territorialem, vi cujus tantum in suis terri-
toriis hac in parte possunt, quantum Imperator in universo Im-
perio *c)* Maxime cum & Jus Archivi Comites S. R. Imperii ha-
beant *d)* Cur non igitur & testamenta hujusmodi oblata in Ar-
chivum suum recipere possent? ut taceam vi jurisdictionis
etiam inferioris cuicunque alias Magistratui licere testamenta
recipere.

a) Vol. 2. Resp. 68. n. 86. f. m. 158. *b)* vid. Dn. Tabor. *in cit. disp. in fin. c. 8. p.*
87. *c)* vid. Andr. Knichen. *de sublim. & Reg. territorial. Jur.*
cap. I. n. 113. p. m. 46. *d)* teste Reink. *de R. S. & E. Lib. I. c. 14. n. 28.*
p. m. 404. Ruland. *de Commissar. P. 2. Lib. 5. c. 4. num. 27.*

§. III. Sed *Quæ*. Num idem Jus & Comitissæ tribuendum? *An & Comi-*
Sunt equidem qui cum Barrio *a)* ab Augusta ad Comitissam *tissa?*
b) ob unionem conjugalem privilegiorumque communicatio-
nem affirmativè concludere non dubitant. Verùm, uti nec Au-
gustæ quævis ab Imperatore Jura & privilegia tribui possunt; ita
multò minus Comitissæ. Constat enim ea demum jura cum *Negatur.*
Augusta eum communicare posse, quæ sexus ratio admittat,
nec Imperatori in specie concessa sint, id quod Legislatoriæ,

B

bel-

bellique gerendi potestatis, utpote in communicabilis, exemplo manifestum est. Eleganter eam in rem Chassanæus c) Augustam, inquit, non gaudere omnibus privilegiis Imperialibus, sed his tantum, quæ nullum aut modicum pariant præjudicium, & conveniunt mulieri, ideo non posse illam leges condere & similia, quæ tributa sunt Principi Augusto ratione dignitatis. Jam autem inferius d) ostendemus, effectum hujusmodi receptionis tacitam quandam solennitatum testamentariarum dispensationem continere; cujus igitur non est ferre leges, ejus nec est relaxare vinculum obligationis illarum: Ipsa autem Augusta Legibus non soluta est, nisi in quantum ab Imperatore Juris obligationi eximitur e) quæ quæso ergo alios ab illarum necessitate liberabit? Loquimur autem hic de Comitissa maritata; aliud omnino dicendum de Vidua, aut innupta regnante, quæ cum Superioritate gaudeat, quin & Testamenta recipere possit, nullum est dubium; sicuti & in maritata, quoad receptitia, idem concedimus.

Limitatur.

a) *Lib. I. de Testam. tit. 2. n. 2.* b) *arg. l. 31. ff. de LL.* c) *in catal. glor. mund. p. 5. Consid. 39. fol. m. 157. Vid. Limneus in Jure Publ. Tom. I. Lib. 2. c. 14. n. 9.* d) *cap. 6. §. 2.* e) *arg. d. l. 31. ff. de LL.*

An competens Judex requiratur.

§. IV. Non tamen præcise requiritur, ut Comes vel Comitissa Ordinarius Offerentis Magistratus sit; cum apud quemcunque, etiam in competentem, Magistratum insinuatio testamentorum, tanquam Actus Jurisdictionis Voluntariæ fieri regulariter possit. a) Nisi pactis fortasse & conventionibus, Magistratus inter nonnullos, convenerit de non recipiendis ab alterius subditis, testamentis, prout de Capitulo Episcopatus Numburgensis & Senatu Civitatis illius testatur Dn. D. Chr. Phil. Richter. b)

limitat.

a) *arg. l. 19. verb. cujuscundq. Judicis. C. de Testam. Carpzov. P. 3. C. 3. Def. 13. n. 2.* b) *Part. 1. Decis. 30. num. 30.*

§. V. Subjectum Cui, seu cujus gratia tale testamentum conscribitur cum aliis testamentorum speciebus commune habet, suntque omnes illi, cum quibus est testamenti factio, quique

que in specie heredes institui non prohibentur; quales alias sunt servus, qui cum Domina in adulterio vixit a) Heretici b) servus poenae c) aliique quos videre licet apud Lauterbach. d) Wesenbec. e) Vultejum f) Maulium g) & alios Doctores.

a) in Comment. ad pr. Instit. de Hered. instit. b) Nov. 144. c. 1. l. 5. C. de Testam. c) l. 3. ff. de his qui pronon script. habentur. d) in Compend. Jur. tit. 2. § 5. ff. de lib. & posth. hered. instit. e) ad d. tit. f) in Comment. ad pr. Inst. de Hered. instit. g) de Ult. Volunt. tit. 16. §. 26. seqq.

§. VI. Num verò in tali testamento ipsi quoque Comiti An Comiti aliquid legari vel ipse heres institui possit disquirendum mere- quid relin- tur? Neutrum equidem concedendum videretur, si generalita- qui possit. ti textus in l. 10. ff. & l. 10. C. de Testib. inhærendum esset. Sed cum in §. 10. & 11. Inst. de Testam. ord. heres saltem testis esse prohibea- tur, Legatarius verò non, utique arg. d. §. 10. & hic idem dicendū Affirmatur. erit, heredem quidem institui non posse, Legatum autem ei relinqui posse, quia Comes recipiens hic loco testium est, in quorum numero heres esse nequit, Legatarius autem potest. Ratio diversitatis hujus variè ab Interpretibus inquiritur. Omnium tamen optima videtur quam ipse Tribonianus in d. §. 11. reddi- Nova expli- dit: quia heres est successor Juris: Legatarius verò non est; catio §. 10. & quod ita interpretamur: Quoniam heres fictione Juris repræ- 11. Inst. sentat defunctum, inque omnia illius Jura succedit, at verò per- de Testam. sona testatoris & testium; vel in nostro oblato testamento: of- ord. ferens & recipiens, distinctæ esse debent, Ergò tali casu heres (& h. l. Comes) testium numero haberi nequit. Non tantum, quia in proprium commodum & sibi metipsum testis esset, sed potius, quia una cum testatore persona habetur: quæ ratio etiam est, cur nec illi, qui in domo & potestate heredis sunt, atque adeo unam cum eo personam constituunt, testes esse possint. At è contrariò, quia legatarius & Fidei Commissarius Particularis, non Juris Successores sunt, h. e. in re magis singulari, quam in omni Jure defuncti succedunt, nec ob id una persona cum defuncto habentur, hinc ut separata & distincta à testato-

re personæ, plane extraneæ, in testamento bene etiam testes esse possunt.

Resp. ad Ob- ject. §. VII. Nec obstat, quod commodum ex suo testimonio sentiant. *Resp. Bachovius, a)* favore ultimarum Voluntatum contra Regulas Juris hoc specialiter introductum esse. Sed si dicendum, quod in hac incerta & intricata re nobis videtur, existimamus testimonium Legatariorum duplici modo considerari posse, vel ratione Heredis institutionis, vel ratione Legati ipsis relictæ. Ratione heredis institutionis pro inidoneis haberi vel per heredes ab intestato rejici nequeunt, quia extranei sunt, & jure aliàs (quod præsupponitur) testabiles, adeoque in negotio, quod testatorem inter & heredem gestum est, *b)* tanquam, ut jam dixi, extranei rectè utique testes adhiberi, & testari possunt, illum nimirum heredem institutum esse, & hætenus non suum sed heredis potius promovent commodum. Ratione Legati verò ipsis in testamento simul relictæ, de Jure testes esse non possent. Sed quis hanc in habilitatis seu inidoneitatis exceptionem illis opponat? Non heres ab intestato, cujus nihil inter est, sed institutus, qui præstare legatum debet; hic autem quia semel illius, in probanda institutione, approbavit testimonium, ut inidoneum rejicere ratione legati amplius nequit, cum connexa sint & accessorium sequatur principale. Toties enim testis ut suspectus in propria causa non admittitur, quoties pars adversa, cujus præjudicium vertitur, contra eum excipit. *c)* Apprimè huc faciunt quæ ad *d. §. 10.* tradidit Schneidevvinus. *d)* *Nec obstat, inquit, quod videantur esse testes in propria causa, contra l. 10. C. de testibus, quia Legatarius non adhibetur, ut dicat, an sibi legatum sit; sed antestator fecerit tale testamentum; Et eo ipso, quod heres utitur adminiculo legatarii testificantis ad valorem testamenti, statim approbat personam legatarii, unde meritò postea de inhabilitate ei nihil potest opponere.* Ut ad eò omnes etiam testes in testamento *An etiam ex Nuncupati-* adhibiti possint esse Legatarii *e)* Cum autem explicationis hujus nostræ ratio in Nuncupativis æque ac scriptis testamentis obti-

obtineat, non opus est, ut hac in parte diversum quid statua-
mus. f) Ut igitur ad scopum nostrum revertamur. Comes u-
tiqve ex Nuncupativo non minus quam scripto testamento
ipsi oblato Legatum petere poterit. Ita enim omnino fidei
ejus, præsumptione Juris, summæ & exuberanti hac in re credi-
tur, prout in legato Judici & Scabinis in testamento Nuncupa-
tivo judiciali, relicto, idem præjudiciis confirmat Carpzovius
g) Minus verò dubii habet valere, si in tali testamento Comiti
oblato Comitissa heres instituta, vel legatum ei relictum fue-
rit. h) Similiter quoque tum institui hæredem posse autuma-
mus Comitem, si non ipsi sed Cancellariæ ejus insinuetur. i)

- a) in Comment. ad §. 11. Instit. de Testam. ord. num. 1. p. m. 349. b) §. 10.
Inst. dt. c) Carpz. P. 3. C. 5. Def. 6. n. 5. d) in Comment. ad §.
11. Inst. de Testam. ord. n. 1. fol. m. 282. e) Prosper Farinacius tr.
de Testib. Tit. 6. qv. 60. ampl. 3. n. 291. fol. m. 167. f) conf. Carpz. l. c.
n. 9. g) L. 6. resp. 24. h) arg. l. 18. ff. ad Leg. Corn. de Fals. & l.
22. C. de Testam. i) arg. eorum, quæ tradit. Carpz. L. 2. Resp. 14.
n. 10. add. Decis. Elect. Nov. 18. & 39. & Ord. Tit. 2. §. Ob wir
auch wohl &c.

CAPUT III.

De Objecto.

§. I.

Ratione Objecti nihil præ aliis testamentis singulare habet,
adeò ut de quocunqve quis in genere testari nequit, de eo
nec coram Comite disponere possit. Qua propter cum Va-
falli sine consensu Domini de Feudo tam inter vivos a) quam
mortis causa disponere prohibeantur, nullâ, etiam inter libe-
ros, ordinatione manente vel valente b) nec subsistet talis di-
positio etiam si Comiti alicui insinuata fuerit. Sed quid si
Comes feudi simul sit Dominus? Distingvendum videtur (1)
inter testamentum oblatum implicitum & explicitum, item-
que Nuncupativum. (2) inter Filios & Agnatos. Si implici-
tum seu oblatum testamentum obtulerit, ex sola receptio-

An Principis
seu Comitis
Vasalli obla-
ta de Feudo
dispositio va-
leat?
Distingvi-
tur.

ne ad consensum alienandi & transferendi feudum minimè concludi potest, cum de hoc nō cogitaverit. c) nec renunciatio- nes juris facile præsumantur. d) Sin explicitum seu Nuncupati- vum, idq; relectum vel auscultatum Comes citra protestatio- nem, & non salvo jure suo, receperit, confessisse utiqve tacitè in substitutionem novi alicujus vasalli, creditur, e) Et talis consensu Domini directi, etiam tacitè, firmata dispositio filiis eqvidem præjudicat, quia facto Patris, à quo causam succeden- di immediatè habent contravenire nequeunt. f) Agnatis au- tem, utpote primo acqvirenti succedentibus minimè ob- est. g)

a) 2. F. 55. pr. b) 1. F. 8. pr. c) arg. l. 43. pr. in fin. ff. de vulg. & pupill. subst. d) l. 25. pr. ff. de probat. e) arg. l. 26. §. 1. ff. de Pignor. l. 4. §. 1. ff. quib. mod. pign. l. 39. ff. de Pignor. act. Facit huc Ludvvell. Synops. Jur. Feud. c. 17. apb. 1. p. m. 347. Mynsing. Obs. Pr. cent. 4. observ. 87. n. 3. f) arg. 2. F. 45. non obstat. 1. F. 8. pr. vid. D. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 13. apb. 16. n. 8. p. m. 499. g) arg. 2. F. 45. ibique Dn. D. Bitschius in Comment. not. 6. p. m. 639. add. Struv. l. c.

CAPUT IV.

De Forma.

§. I.

PROgredimur nunc ad formam hujus Testamenti, quæ re- spectu aliorum testamentorum solennium plane singularis est. Nullis enim hic opus est testibus, multoqve minus eo- rum subscriptione aut subsignatione, sed sufficit Testatorem, Comiti suam voluntatem, mera fide precibus insertam, offer- re, iisque successorem suum declarare. h)

h) l. 19. C. de Testament.

§. II. Sed cum duplex sit Subjectum Quod, Offerens sci- licet & Recipiens i) duplicem quoque formam oblatis nimi- rum & recepti testamenti deprehendimus.

i) vid. cap. 2. §. 1.

§. III. Omnis autem oblatio præsupponit offerendum, adeo-

adeoque sine objecto aliquo materiali vix procedere videtur, hinc quaeritur, an praecise scriptum esse oporteat? Affirmat id Eckoltus *k)* Quamquam autem non negemus testamentum huiusmodi ut plurimum in scriptis offerri; nihil tamen ob stare videtur, quo minus etiam ore proferri possit. Nam ut taceam (1) testamentum hoc in locum illius, quod Calatis Comitibus fieri consuevit, successisse *l)* illud verò cum & nuncupari potuerit, teste Reusnero *m)* hoc quoque ceu surrogatum, naturam ejus & formam haud dubie sequetur. *n)* Quemadmodum enim illud universum populum, ita hoc Comitem, illum representantem, testem habet *o)* (2) expresse comparatur cum Nuncupativo coram testibus confecto *in l. 19. verb. aut auribus privatorum mentis suae postremum publicavit iudicium.* (3) Satis est si Principis s. Comitis conscientiam teneat dispositio, meliorem autem Nuncupativi quam Scripti habere potest scientiam & conscientiam. Accedit (4) quod mera fide, h. e. relatione Comitis nitatur; Scriptum autem non fide Comitis, sed potissimum Scriptura testatoris sustineatur. Neque (5) verba illa *insertum precibus* literis praecise comprehensum testamentum indignant, non magis, quam verba subsequents: *hoc ipsum, quod per supplicationem auribus nostris intimatur.* Nam uti supplicationes & preces non in scriptis semper fiunt, sed saepe etiam ore tenus; ita & hic declaratio futuri heredis precibus, viva voce Comiti factis, inserta intelligi potest, maxime cum (6) *auribus intimari* dicatur; & (7) *audire etiam hominum voluntates Imperatores velint.* Nec obstant verba finalia: *Oblatis precibus, item, oblatas preces.* Quia etsi concedatur etiam in fine de scripto agi, initio tamen Nuncupativum non excluditur, per rationes antea allatas, maxime cum & iudiciale nuncupative fieri possit. Nisi fortasse oblatas idem ac prolatas preces dixeris, ita, ut tam ore quam Scriptura prolatae, significatione generali, comprehendantur. *p.)*

Resp. Object.

k) in Compend. Dig. ad tit. qui testam. fac. possunt. §. 2. *l)* vid. c. 1. §. 6.

§. 6. Add. Donell. Enucleat. Part. I. lib. 6 c. 6. lit. D. pag. m. 348. m) de Jur. Testam. P. 1. c. 10. n. 5. & 6. ubi & formulam nuncupationis hujusmodi exhibet. add. Joh. Coras. Miscell. l. 5. c. 12. n. 1. n) per l. 70. §. ult. & l. 71. ff. de Legat. 2. o) l. 19. in verb. qui nobis mediis & toto jure (quod in nostris est scriniis constitutum) teste succedet. C. de Testam. p) Conf. Berlich. P. III. Concl. 4. n. 28. Thom. Maulius de ult. vol. L. 1. tit. 3. n. 4. p. m. 70.

si offerēs imperitus litterarum sit.

sine prælectione non valet

§. IV. Cum verò, ut modo diximus, in scriptis plerumq; offeratur testamentum, perinde ut in aliis solennibus vel judicialibus parum vel nihil intererit, propria an aliena manu conscriptum fuerit, dummodo ex Voluntate testatoris confectum, ab eoq; subscriptum & subsignatum sit. q) Quod si verò testator plane litterarum imperitus fuerit ad evitandam fraudis suspicionem, & ut juxta l. 19. in fin. C. de Testam. oblata preces secundum Voluntatem defuncti approbentur, requiritur, ut receptum à Comite testatori prælegatur, illiusq; voluntas & approbatio per omnia exploretur; quo non facto, testamentum, ut in certum & alienum, sola receptione Comitiali haud servabitur, r) quia ante omnia de voluntate ejus indubitato constare debet. s)

q) l. 21. C. de Testam. r) arg. l. 32. ff. de hered. instit. Add. Carpzov. Part. II. Decis. 149. sibi quodammodo contrarius l. 6. Resp. 9. num. 18. & 19. s) arg. §. 1. Instit. de Mil. Testam.

An per Procuratorem offerri non possit?

Negatur.

§. V. Quia igitur imprimis hic de enixa testatoris voluntate Comes indubitato certus esse debet, sua spontè hinc fluit, illud fieri vix posse, nisi & ab ipsomet testatore offeratur. Cum enim (1) Ultimæ voluntates omnium maximè fraudibus sint subjectæ, t) tanto majori etiam cautione ad excludendas eas opus videtur u) ne vera falsis, quæ tamen post mortem non revertuntur, ultima elogia x) subvertantur y) Maximè cum & (2) de præjudicio tertii, Legitimorum scil. heredum, agatur. (3) Quia, ut sæpe dictum, in locum Calatis Comitii facti, successit hoc testamentum, illud verò ab ipso testatore populo proponendum fuisse in confesso est. z) præprimis cum & juris

ris expediti sit a) quod testes, quos olim totus populus, hodie Princeps seu Comes, repræsentat, & videre testatorem & audire loquentem, præcedendæ falsæ machinationis causa, debeant; qui igitur in Procuratore tale quid fieri posset? Ut taceam (4) verba l. 19. C. de Testam. ad ipsum magis testatorem esse directâ, adeoque factum ejus proprium, ab Imperatoribus minimè exclusum vel remissum esse, in verbis: *mentis suæ postremum publicavit iudicium &c. successorem suum possit declarare &c.* & Jure Elect. Saxon. b) in verbis: *Wenn einer ein Testament daheim schreibet/ oder schreiben lasset/ und leget dasselbe hinter das Gerichte.* c) Ita enim (5) hic numerus solùm testium & solennitas, non autem reliqua substantialia Testamentorum requisita, inter quæ vel primo loco referendum, quod testes, aut vice eorum hodie Comites, testatorem videre & audire debeant, remissa sunt, cum correctiones Juris communis, maximè testamentarii, tot tantisque vigiliis & curis excogitati, summeque favorabilis d) ultra litteram non extendantur e) nec duo singularia circa unam eandemque rem concurrant. f)

t) exempla recenset. Dan. Moller in P. 3. Const. Elect. Saxon. 3. n. 12. Petr. Peck. tr. de Test. conjug. lib. 4. c. 13. p. 341. u) L. 1. §. 5. ff. de Carbon. Edict. x) L. 1. C. de SS. Eccles. y) arg. §. 1. Inst. de Milit. Testam. z) apud Maul. de ult. Vol. Lib. I. tit. 3. p. 77. Ludvvell. de Ult. Volunt. Part. 2. c. I p. m. 187. Moller. Semestr. lib. 1. c. 5. p. m. 21. Carpz. P. 3. C. 3. Def. 23. & Decis. 293. a) in l. 21. pr. ff. qui testam. fac. poss. & L. 9. C. de Testam. b) P. 3. C. 3. c) add. Berlich. P. 3. conclus. 4. n. 28. p. m. 100. d) arg. §. 1. Inst. Proëm. e) l. 27. C. de Testam. f) arg. §. fin. Instit. de Adopt. & L. 35. pr. C. de Inoff. Test.

§. VI. Nec ad rem facit 1) quod in omni negotio Civili *Resp. Object.*

Procurator admittatur, idemque sit per alium, & ipse fecisse. g) Exceptio enim (1) hic est à Regula, ob summum, quod veri potest & Testatoris & veri heredis præjudicium, quæ in aliis negotiis Civilibus non facile ita verendum; compertâ enim fraude, & si contra voluntatem & intentionem mandantis quid actum fuerit, vel doli, prævaricationisve Exceptione, aut actio-

C

ne

ne, vel etiam restitutionis beneficio *b*) damnum refarcire, aut retractare, quod gestum est, poterit; at ultimum elogium dolosè interversum, quia post mortē non revertitur *i*) à defuncto revocari nequit. (2) Actus hic offerendi plane personalissimus est, ob rationes §. præced. latius deductas. Limitat eqvidem hoc Dn. Richter *k*) & cum eo Dn. Gastel. *l*) testamentum per Procuratorem insinuatum tum subsistere tradentes, si testator præcedentem insinuationem per alium factam postea confirmet, & in iudicio mentem suam declaret; sed tunc non ut prius per alium oblatum, sed ut noviter repetitum, & quasi ex nova voluntate à testatore oblatum valet. *m*)

g) *c. 72. de R. J. in 6. l. 5. §. 3. ff. de Admin. & per. tut.* *h*) *l. 7. §. 9. ff. de dol. mal.* *i*) *l. 1. C. de SS. Eccles.* *k*) *Decis. 48. num. II. fol. m. 357.* *l*) *in Specul. Jur. Univ. c. 25. n. 239. p. m. 451.* *m*) *arg. §. 4. Inst. de Milit. Testam.*

Object. 2. §. VII. Neque 2) quod per supplicationem offerri possit *n*) Ergò & per Procuratorem. Resp. Negatur consequentia. Nam quia non minus de supplicatione & Mandato, ac de Testamento ipso an ex Voluntate ejus conscripta sint, nec ne, dubitari, & in utroque fraus & dolus intervenire potest, insufficientis h. l. procuratorium videtur, ut in aliis negotiis civilibus, personæ præsentiam non exigentibus, suo usu non destituatur. Quibus tamen & illud addendum, quod hic non litteralis præcisè, sed & verbalis *in d. l. 19.* supplicatio intelligatur. *o*)

n) *l. 19. verb. quod per supplicationem auribus nostris intimatur C. de Testam.* *o*) *§. præc. 3. in fin.*

Object. 3. §. VIII. Item 3) quod in *d. l. 19.* præsentia præcisè non requiratur. Ergò nec ad formam seu Essentiam pertineat. Resp. Cum Jure communi in genere de substantia cujusque testamenti sit, ut præsens ipse testator à testibus videatur & audiatur, sufficit, requisitum illud in *d. l. 19.* quoad testamentum oblatum expresse mutatum & remissum non esse; quæ enim expresse abrogata non sunt, cur stare prohibeantur. *p*) Nam etsi 4) ea, quæ Solennitatis sunt in *d. l. 19.* remissa fuerint, atque receptio
Comitis

Comitis omnium testamentorum solennitatem superare dicatur, ob id tamen substantialia non sublata sunt. De Præsentia enim Principis, seu Comitis *in d. l. 19.* tantum agitur, eaque ob summam, quæ in ejus persona collocatur, fidem, septem testimonium testimonia superare dicitur, non autem de Præsentia Testaturum novum quid constituit. Nec 5) sequitur: Remissæ sunt in testamento solennitates, Ergo quævis, etiam per mandatarium facta, voluntatis declaratio sufficit. Ex falsis inferitur principiis. Declaratio enim Voluntatis non ad Solennitatem testamentorum, uti septenarius testium numerus, & alia, sed ad substantiam & essentiam pertinet, quæ cum præcisè videntibus & audientibus testibus fieri debeat, per æquipollens suppleri nequit. 9) Eleganter Carpozovius *r)* nec putandum remissis solennitatibus circa testes in testamento judiciali illud etiam censerem remissum, quod ad fraudes removendas & conservandas testantium voluntates ad inventum est, nempe, ut ipsemet testator coram Actis Voluntatem suam exprimat & declaret.

Object. 5.

p) *l. 37. C. de Appell. & l. 27. C. de Testam.* q) *arg. l. 48. §. fin. ff. de furt.* r) *Part. 3. Const. 3. def. 23. n. 6.*

§. IX. Et quamvis 6) Princeps per Officiales suos, ut mox dicetur s) testamenta recipere possit, non tamen propterea & Privatis offerre per Mandatarios conceditur. Quod enim Principi licet, subditis non statim permissum est. t) Princeps nullibi in propria persona recipere, ut testator offerre, jussus est, & si hoc factum fuisset, positivis tamen hujusmodi Legibus & solennitatibus solutus esset. u) ita, ut si quid contrarii hac in parte ipsi placeret, legis quasi derogatoriæ seu constitutionis personalis x) habeat vigorem. y) At è diverso nemo subditorum facere potest, quo minus Leges in ipsius testamento oblato obtineant. z) Ut taceam Officiales Principum juratas personas esse; Cancellarii imprimis, Consilarii & Secretarii, ad hoc constituti sunt, ut Jurisdictionalia (quæ etiam receptio testamentorum est, a) Principis nomine exercent.

Object. 6.

C 2

s) §. seq.

s) §. seq. 12. b. c. t) l. 176. ff. de R. J. u) l. 31. ff. de LL. x) vid. §. 6. Inst. de J. N. G. & C. y) d. §. 6. z) l. 55. ff. de legat. 1. a) vid. supr. c. 2. §. 2.

Object. 7.

§. X. Coeterum quod 7) ab insinuatione Donationis inter vivos & mortis causa ex Berlichio b) argumentum deducitur, nihil minus quam stringens est. De illa enim textus est expressus in Nov. 127. c. 2. qui in testamentis offerendis deficit. Nec à negotiis Civilibus seu actibus inter vivos ad ultimas voluntates inferri posse supra jam jam ostensum est. De hac verò ex falsa iterum hypothese disputatur. Negamus enim, quod in genere in omnibus ultimis Voluntatibus requiritur, ut testes nimirum, & loco horum Judex, seu Comes, testatorem videant & audiant, in mortis causa donationibus, quæ species ultimarum voluntatum sunt, c) remissum esse; quin sine lege hoc asserere potius erubescimus d) maximè cum par utriusque hac in parte ratio sit. e) Posito autem M. C. D. per procuratorem insinuari posse non tamen ex eo ad testamentum Comiti offerendum, teste ipsomet Berlichio f) concludendum esset, quia à testamento quidem ad D. M. C. non autem vice versa argumentatio procedit. g) Ut adeo veritati theoreticæ & analogiæ Juris omninò convenientius videatur, Testamentum Comiti ab ipso testatore offerendum esse, non per Procuratorem, quod & in praxi ita observari testatur Carpzov. h) & Berlich. i) aliique ab his citati. Atque hoc eo usque etiam extendit Berlichius k) ut nec testamentum, quod quis domi, sine testibus conscripsit, valeat, tametsi postea illud per Notarium vel Procuratorem, una cum 7. testibus Comiti offerri, vel Actis insinuari curet. Verum, ut ut facile concesserim tale testamentum ut oblatum & publicum minimè subsistere, attamen ut expressa contestatione declaratum & Notario presentibus testibus oblatum seu implicitum privatum sustineri posse existimem. l)

An si per Notarium cum septem testibus insinuari curet, valeat?

Aff. contra Berlich.

b) Part. 3. concl. 2. num. 35. p. m. 58. c) l. ult. C. de Codicill. d) Nov. 18. c. 5. pr. e) prout eleganter hoc ostendit Carpz. Lib. 5. Resp. 56. n. 20. seqq. f) Part. 3. Concl. 4. n. 28. p. m. 102. g) Berlich. l. c. h) P. 3. C. 3. Def. 23. i) l. c. add. Struv. S. J. C. Ex. 32. th. 9. k) l. c. n.

29. 1) propter Recessum Imperii de Anno 1512. Tit. von Testa-
menten §. 7. die Form eines Testaments. &c.

§. XI. Nihil autem refert occlusum & obsignatum, an a-
pertum offeratur. Quamvis enim Doctorum nonnulli in ea
sint opinione ac si apertum esse, & à Comite relegi debeat pro- *Nam aper-*
pter l. 19. vers. *Voluntatem suam declarare &c. C. de Testam.* tum offeren-
hoc tamen præcise non requiritur, cum etiam is voluntatem *dum.*
suam declarare & manifestare implicite dicatur, qui illam sche-
dula occlusa contineri se declarat. *m)* Nisi forte ut supra §. IV.
hujus cap. dictum, testamentum non propria testatoris manu *Neg.*
sed aliena scriptum & testator plane literarum imperitus
fuerit. *n)*

m) Vid. Berlich *P. 3. Concl. 4. n. 23.* Carpz. *P. 3. C. 3. def. 26. & 28.*

n) *Conf. Carpz. l. 6. Resp. 9.*

§. XII. Eginus hæctenus de forma testamenti Oblati, su- *Forma Reci-*
perest, ut consideremus etiam formam testamenti Recipiendi, *piendi.*
quæ nuda susceptione Comitis absolvitur. Receptio autem
hæc vel immediatè fit ab ipso Comite, vel mediatè, ab illis, qui
ad hoc specialiter ab eo constituti vel etiam ad recipiendum in
domum forte testatoris ablegati sunt, eoqve pertinent verba
Constit. Elect. Sax. 3. P. 3. Wann Gerichts-Personen von Ge-
richts wegen zu einem/der da frank ist/ in seine Behausung/ auf
seine Erforderung geschickt werden/ und er vor ihnen ein Testa-
ment machet etc. Atqve tali casu duos Secretarios à Princi-
pis Curia, seu Consiliariis missos sufficere probat Dn. D. Struv.

o) De cætero ratione loci nihil interest sive hæc receptio
fiat in aula Principis sive in domo Testatoris. Testamenti e-
nim factio est actus voluntariæ Jurisdictionis & ubiqve loco-
rum expediri potest. *p)*

o) *Synt. 7. C. Exerc. 32. tb. 9.* *p)* *arg. l. 2. ff. de Offic. Procons. Carpz.*
P. 3. C. 3. def. 12.

§. XIII. Sed quid, si absente Comite ejus Cancellariæ insi- *An & Can-*
nuetur, Wenn es in die Regierung/ Hoffrath oder Cansley *cellariæ insi-*
gegeben wird. Si quidem pleno confessui, aut præsentè ad mi- *nuari possint.*

*Quid si Se-
cretario sal-
tim traditū.*

nimum eo, penes quem illius directorium, atq; adeo recipiendi commissa potestas est, exhibeatur, haud dubie valebit. q) Imò etsi fortasse Comes peregrè non absit, sed in ea simul civitate commoretur, quia Principes supremam Jurisdictionem per Cancellarias suas, durch ihre Cansler und Râthe / hodie potissimum exercere solent, ut adeò hoc in passu concurrentem quodammodo cum ipso Comite Jurisdictionem Cancellaria habeat, maximè cum nec adire cuivis Principem pro lubitu liceat. Quando autem diximus, eo minimùm præsente, cui directorium & recipiendi potestas commissa est, insinuari debere, hoc ipso minimè sufficere innuimus, si quæ ante Confessum Secretariis ad præsentiandum insinuatam sit, hi enim, si forte negligentes in proponendo testatoris desiderio fuerint, & ante receptionem testator decesserit, testamentum, ut imperfectum nullius effectus erit. r) Oblatio enim sine receptione nulla est, cum ante receptionem Principis conscientiam nondum teneat, nec testem eam habeat. Secretarii equidem ad præsentiandum & referendum, non verò ad recipiendum, cum effectu Authoritatis publicæ, constituti sunt, cum jurisdictionem nullam per se habeant, quam tamen vel maximè receptio testamentorum præsupponit. s)

q) arg. l. 19. vers. inter tot nobiles probatasq; personas &c. C. de Testam. r) aarg. l. 21. pr. vers. non subscriptum &c. C. de Testam. l. 22. §. 4. ff. qui test. fac. poss. s) supra cap. 2. §. 2.

*An solus Co-
mes sine Con-
siliariis reci-
pere possit?*

Affirm.

Resp. Obj.

§. XIV. Ex his igitur, quæ de concurrentia communicatæ cum Cancellaria Jurisdictionis §. anteced. diximus, facile est colligere, Comitem etiam non-præsentiibus Cancellario & Consiliariis suis recipere testamentum posse. Cum enim in mera Comitis exuberante fide Testamentum hoc fundetur, etiam sine illis fidei ejus standum erit. Siquidem Princeps in suo territorio quasi lex animata est, cujus sola præsentia actum, factum, vel negotium contractum solennizat & roborat, t) fidesque Actorum non tam dependet ex personis Assessorum, quam Judicis vel Comitis. Nec obstat, quod *Nobilium* quoq; in l.

in l. 19. C. de Testam. mentio fiat. Distingvendum enim inter id quod debet & quod solet adesse: loquitur textus de eo, quod ut plurimum contingere solet, quia nimirum Nobiles plerumque Principes & Comites comitantur. Sufficit igitur solum Comitem recepisse, & de hoc deinde attestari; u) quia Principis verbum multorum instar testium subditis esse debet, x) & assertio Principum, & Statum Imperii manu ipsorum sigilloque munita instar jurisjurandi habenda. y) Unde sua sponte eorum corrui hypothesis, qui præter Principem duos adhuc ad minimum testes requirunt. z) Sed, cum Jure Civili ad Testamentum apud Acta conditum solius Judicis, etiam sine Assessoribus, præsentia, ipso Gothofredo teste a) sufficiat, b) non video, cur non in eo, quod Principi aut Comiti offertur, idem statuendum esset, cum hi sane præ illo majorem adhuc mereantur fidem & Authoritatem, nec minor apud Principem Nobilium quam apud Judicem Assessorum aliorumque hominum frequentia præsumatur.

An & testes
requirantur
Neg.

- *) Ernest. Cothmann, Tom. 2. Resp. 68. n. 9 & 10. f. m. 156. Corasius in Miscell. lib. 5. c. 12. n. 1. Donell. Enucl. Part. 1. lib. 6. c. 6. p. m. 348. u) Reufner, de Testam. P. 4. c. 18. Salicet. in Comment. C. ad b. l. 19. n. 9. add. Carpzov. Part. 3. C. 3. def. 29. & lib. 6. Resp. 24. n. 17. x) cap. 28. vers. salva X. de Testib. Mynsinger. cent. 5. observ. 34. y) Mynsing. cent. 1. obs. 17. z) Schneidevvin. in Comment. Institut. tit. 10. lib. 2. de Solenn. test. n. 18. Ern. Cothmann. Vol. 2. Resp. 68. n. 65. f. 157. & Gothofred. in not. ad b. l. 19. C. de testam. a) l. cit. b) vid. post alios citatos Dn. D. Philippi in Usu Pract. l. 2. T. 10. Eclog. 48. num. 5. quod tamen in terris Saxonis per Elect. Decis. Nov. 45. in tantum mutatum, ut præter Judicis etiam Actuarii præsentia opus sit, add. Matth. Berlich. Part. I. Decis. 85. n. 1. & seqq. E contrario Raphael Fulgosius in Comm. C. Tom. 2. ad l. 19. C. de Testam. n. 1. f. m. 41. b. coram Principe quidem sine testibus, non autem apud Acta cujuscunque Magistratus testamentum fieri posse, autumat.

§. XV. Atque hæc quidem ita omnino se habent, si de Receptione Comitis realiconstet, quod si verò dubia ea adhuc sit, v.g. <sup>Quid si re-
ptio incertæ
sit?</sup>

quomodo
probanda.

An per Con-
siliarios tan-
tum, an etiã
per extra-
neos.

Quid h. l.
Rescriptum.

Sufficit nuda
receptio.

v. g. siquidem in Archivo reperiat, de mortuo autem Comite, ignoretur quis eo de posterit, utiqve presentia & Receptio Comitum duobus c) ad minimum testibus probanda erit. d) Atque de tali casu rectius, quam de Procuratoris oblatione verba d. l. 19. finalia, in quibus heredi probatio insinuationis & receptionis injungitur, accipienda crediderim: *Nec institutus heres pertimescat, cum oblatas preces secundum voluntatem defuncti, idoneis testibus possit approbare.* Testes autem idoneos non eos solum, qui circa Dominum sunt, Nobiles & Consiliarios cum Donello, e) sed quoscunque etiam extraneos ad testificandum habiles & idoneos intelligimus. Interim ex hoc apparet, tutius omnino esse, si offerens *Rescriptum* Principis seu attestatum, de facta sibi à testatore oblatione, impetrare possit, wenn er ein Recepisse, Recognition oder Depositen-Schein bekommt/ aut ad minimum recipiens à tergo testamenti tempus nomenque offerentis inscribat, & scriniis, seu Archivo, inserat, futuræ nimirum probationis gratia: quod si tamen aliunde, & testibus idoneis, receptionem Comitum heres probare possit, ob defectum hujusmodi Rescripti vel Signaturæ, testamentum minime invalidabitur, per verba d. l. 19. C. expressa: *Nec sane illud heredibus nocere permittimus, si rescripta nostra nihil de eadem Voluntate responderint &c.* Et Donellus: *Quemadmodum,* inquit, f) *cetera testamenta privata non desiderant alienam Auctoritatem & approbationem, g) sic nec testamentum precibus insertum desiderat approbationem Principis, quamvis illi sit oblatum, nam & sine ullo ejus responso testamentum valebit d. l. 19. vers. nec sane &c.* Nuda igitur receptio superioris, qualitatem oblatis non ignorantis, pro approbatione tacita, & repositio in scriniis, pro expressa habetur h)

c) *Quia non solennitatis sed probationis gratia adhibentur arg. l. 12. ff. de Testib.* d) Thom. Maul. *de Ult. Volunt. lib. 1. tit. 3. n. 4. pag. m. 70.* Raph. Fulgosius *in Comment. ad l. 19. C. de Testam. n. 3. fol. m. 43.* add. Francisc. Mantica *de Conject. Ult. Volunt. L. 12. tit. 17. & 18. fol. m. 748.* e) *in Comment. Cod. ad d. l. 19. n. 9. f. 366.* f) *l. cit. n. 7.*

n.7, fol. 365. g) l.32. pr. ff. de her. Instit. h) Berlich. Part. 3.
Conclus. 4. num. 26.

§. XVI. Ratione loci nihil interest in Aula aut Cancellaria *ubi, & an*
sua, an alibi recipiat, quia ubiqve Jura Principis & Comitis, qui- *tantum in*
bus hæc recipiendi potestas annexa est, retinet & exercere pot- *Aula?*
est. i) Quod tamen de Cancellario & Consiliariis, quibus cum

communicavit hanc potestatem k) minimè concesserim, qua- *An Cancellario*
si privatim extra Confessum, & sine præscitu Collegarum reci- *solum?*
pere testamenta possint. Nam etsi quidem Judex caput Judi-
cii sit, unum tamen cum reliquis demum collegii membris cor-
pus constituit, & extra collegium Judicis Authoritate, in exer-
cenda Jurisdictione, minime utitur fruitur, nec soli ei, sed toti
collegio, quod Principem repræsentat, potestas hæc competit.

l) Qu. autem num etiam extra territorium Comes à non-sub- *An extra*
ditis recipere testamenta possit? Videtur quod non, quia Jus *territorium*
recipiendi pro fundamento Jurisdictionem habet m) qua de- *recipere pos-*
fici- *sit?*
ficiente & oblatio & receptio sine effectu erit. n) Sed Resp.
Distingvendo inter 7^o habere Jurisdictionem, seu jurisdictione
esse præditum, & inter habere Jurisdictionem in personas offe-
rentium locumve oblationis; Illud pro fundanda receptione
requiritur, nec Principi aut Comiti Regalibus ab Imperatore
condecorato denegari poterit; Hoc verò ad receptionem te-
stamentorum, utpote actum Voluntariæ Jurisdictionis, adeo-
que coram quocunqve, etiam incompetente, magistratu expe-
diendum, minimè pertinet. o) Aliud esset, si contentiosam
Jurisdictionem ibi exercere vellet, tunc utiqve extra territori-
um jus dicenti impunè non pareretur. p) Utut autem hæc ita
se habeant, verendum tamen nihilominus, ut Princeps loci il-
lius testamentum hujusmodi admissurus sit, si fortè in præjudi-
cium subditorum ipsius tendat, bonaqve hereditaria ibi loco-
rum sita sint. q)

i) arg. §. 2. Instit. de Libertin. k) vid. supr. §. 13. h. c. l) l. 39. ff.
de re jud. l. 17. §. fin. ff. de Arbitr. m) c. 2. §. 2. n) arg. l. fin. ff. de
Jurisd. o) arg. l. 2. ff. de Off. Proc. p) l. fin. ff. de Jurisd. conf.

D

Dn.D.

Dn. Carpz. Part. 3. Dec. 293. n. 17. seqq. q) vide in simili Limneum Tom. 2. lib. 4. cap. 4. num. 72.

CAPUT V.

De Fine.

§. I.

PErventum est usque ad finem oblationis, qui in genere in eo consistit, ut fide & Authoritate Comitis oblatum testamentum sustineatur.

Finis quotu-
plex.

quid Scri-
nia?

quotuplicia
sint Scrinia?

§. II. In specie verò alius constitui potest primarius, ut scilicet sustineatur & confirmetur oblatum, quod fit, quando Comes tale testamentum recipit. Per receptionem enim demum vires testamenti privilegiarii accipit, & Conscientiam Principis tenere dicitur *l. 19. C. de Testam.* Alius secundarius, ut in scriniis Principis vel Comitis reponatur & conservetur. Scrinium autem h. l. non pectoris cum Dauthio *r)* intelligimus, seu abditus mentis & cordis, prout in tali significato à Papa Bonifacio VIII. usurpatur in *cap. I. de Constitut. in 6.* ubi omnia Jura in scrinio pectoris sui se habere dicit; sed potius Scrinia seu receptacula & thecas quibus supplicationes Principi oblatas, item Dispositiones Principales, Rescripta & Edicta aservantur & custodiuntur. *f)* Quatuor autem scriniorum genera ex *l. un. C. de Magistr. Sacror. Scrinior. & l. ult. C. de Decur.* adducit Dn. D. Georg. Obrecht. *t)* Scrinium nempe memoriae, Epistolarum, libellorum & Dispositionum. *u)* Hic scrinium memoriae, quin & Libellorum seu Supplicationum, præprimis si, ut textus *l. 19. C. de Testam.* loquitur, per supplicationem in scriptis offeratur, est exaudiendum.

r) in *Comm. ad h. l. 19. C. de Testam. n. 5.* *f)* Vid. Donellus *Enucleat. Part. I. lib. 6. cap. 6. lit. D. p. m. 348.* *t)* in *Dispp. Argentor. 119. §. 17. pag. m. 421.* *u)* add. Gothofred. in *not. ad d. l. un. C. de Magistr. Sacror. Scrinior.*

CAP. VI.

CAPUT VI.
De Effectu & Affinibus.

§. I.

Finis haud obtinetur nisi & sequatur Effectus. Effectus au- *Effectus du-*
tem oblatis testamenti, alius ratione Comitum Recipientis, *plex.*
alius ratione Offerentis & Heredis est. A parte Comitum insi-
gnis praeminentiae summæque fidei & Authoritatis effectus
est, quod omnes solennitatum defectus sola Principis præsenti-
a suppleantur, sine ullo testium aliorum adminiculo. *x)*
Quoniam autem testamenta hujusmodi oblata insciis utpluri-
mum heredibus, evitandæ suspicionis & invidiæ ergo, fiunt,
hinc & ad officium recipientis pertinebit, ut tali casu Comes e-
jusve Cancellaria, mortuo testatore, testamentum reconditum
aperiant & inspiciant, idque deinde citatis, quorum interest
omnibus, more solenni publicari faciant. *y)* Sed quid si Nun- *Quo nuncu-*
cupativè saltim, coram Comite suprema quis ordinaverit, quod *pativum*
fieri posse jam jam superius tradidimus, *z)* undenam post *probabitur.*
mortem testatoris ultimum hujusmodi elogium probabitur?
Ut ut equidem vix futurum nobis persuadeamus, ut tali casu
Comes voluntatem testatoris ipse breviter annotare, vel per
Secretarios suos consignari facere non debeat. Non tamen *Dissentitur*
propterea cum D. Tabore *a)* Nuncupationem aliter haut pro- *à Tabor e.*
cedere arbitramur, quam si eam Secretarius Principis excipiat,
& sic scripto comprehensam ad scrinia seponat, quin potius,
cum mera fide & Authoritate Comitum totum hoc Testamen- *An soli rela-*
tum nitatur, tali casu sufficere existimamus, si manu sigilloque *tioni Comi-*
suo vel etiam ore tenens Voluntatem defuncti declaret & atte- *tis creden-*
stetur. *b)* Et quamvis uni testi privato, quantumcunque etiam *dum? Affir-*
Authoritatis sit, non credatur, *c)* Princeps tamen & Comes, ut- *matur.*
pote personæ publicæ & de negotio coram ipsis tanquam sum- *Admittitur*
mis Magistratibus gesto, attestantes, fidem omnino merentur. *contrarii*
probatio.
Quia vero errare humanum est, quod nec Principes & Comites,
ceu summi, præsumptione Juris, Justitiarum, à se alienum putabunt;

à probatione contrarii, per Testes, fortè tum præsentès, aliave
ratione, faciendà, neminem excludimus. e)

x) *conf. c. 4. §. 14.* y) *conf. Carpz. P. 3. C. 5. def. 26.* z) *cap. 4. §. 3.* a)
in Disp. de Testam. Princ. obl. c. 6. §. 4. b) *c. 4. §. 3.* c) *l. 9. C. de Te-*
stib. d) *arg. l. f. C. ad L. Jul. repetund. Decif. Elect. Nov. 3. ibiq;*
Dn. D. Philippi. e) *Vid. Ernest. Cothm. Vol. 2. Resp. 68. n. 88.*
fol. m. 158.

Ratione te-
statoris.

§. II. Ratione Testatoris est, ut certò confidere possit, here-
dem sibi, quem oblatis precibus declaraverit, indubitato fore,
nec propter defectum solennitatum dispositionem corruerè;
quia Princeps seu Comes, ut Author & arbiter juris positivi, re-
cipiendò ultimam voluntatem, dispensare quodammodo circa
solennitates Jure Communi requisitas videtur. Atque hinc
est, quod actus & contractus Principum contra Juris communis
Regulas, deliberato animo celebrati, ad instar legis contrariæ

Ratione He-
redis.

& qs. privilegii habeantur. f) Ratione Heredis verò, quod
perinde uti ex alio quovis solenni testamento hereditatem adi-
piscatur, omniaque Jura & actiones, pro ea consequenda, nanci-
scatur. *d. l. 19. vers. nec institutus heres pertimescat & c. C. de Te-*
stam. Habet enim Jus Hereditarium & adeundi facultatem,
omniaque remedia tam petitoria quam possessoria g) quod
non minus in legatariis & Fidei Commissariis obtinet b)

f) *l. 26. C. de donat. inter vir. & uxor.* g) *Conf. Tabor disp. de Test.*
Pr. obl. c. 6. thes. 15. h) *arg. §. 2. Inst. de legat.*

De Testa-
mento Prin-
cipis in scri-
niis reperto?

§. III. Hac Occasione Qv. An Testamentum Principis aut
Comitis post mortem in scriniis seu Archivis repertum, ean-
dem Authoritatem habeat, ut & sine Testibus, sola voluntate
defuncti subsistat? Certe de eo nullum est dubium, quod Prin-
ceps & Comes, mediis Nobilibus & parastatis, h. e. præsentibus
Consiliariis suis, Scriniis Cancellariæ ultimam Voluntatem in-
ferere possit, cum insinuatio testamenti sit actus voluntariæ Ju-
risdictionis, qualem quisque etiam coram suo judicio expedi-
re potest. i) At si clam remotis arbitris reposuerit, facti haud
dubiè quæstio movebitur (1) An reposuerit, & (2) an sponte
reposuerit. Et sane si nulla suppositionis, fraudis, metus vel
coa-

coactionis sublit suspicio, pro conservando potius testamento pronuntiandum videtur: quia incongruum aliàs esset, Auctoritatem, quam aliorum testamentis tribueret, proprio concedere non posse. *k)* Cum igitur sola Principis & Comitis Voluntas & Auctoritas hinc spectetur, eaque instar legis obtineat, servanda quoque erit, tametsi non in Scriniis Cancellariæ, sed inter alias Comitis res privatas fortè inveniatur; quia Maulio teste *l)* in Comitibus & aliis Dominis, qui merum & mixtum Imperium & omnimodam Jurisdictionem habent, sufficit si eo in loco, ubi omnimodam Jurisdictionem habent, penes se ipsos testentur, cum apud ipsos testantes Auctoritatis potestas sit. *Si enim*, inquit Franc. Mantica *m)* *testamentum sine solennitatibus factum sit ab eo, qui in loco conditi testamenti habet merum & mixtum Imperium, presumitur à se ipso insinuatam, quia est Actus voluntariae jurisdictionis, idq; perinde valet ac si apud superiorem insinuatam esset.*

Si inter alias res privatas Comitis inventum?

- i)* *l. un. C. de Off. Pro Conf. l. 5. ff. de Manum. Vind. unde & Dominus Jurisdictionis bona sua immobilia hereditaria, coram suo judicio aliis oppignorare potest. Decis. Elect. Sax. Nov. 38. & 39. subditosq; suos convenire. Ord. Proc. Saxon. Tit. 2. §. ob wir auch wohl & c.*
k) *conf. D. Ferdinand. Vasquius de Success. & ult. Volunt. l. 3. §. 26. limitat. 31. n. 1. in fin. fol. m. 305. l)* *tr. de Ult. Volunt. l. 1. tit. 3. n. 4. p. m. 70. m)* *de Conject. ult. Vol. lib. 2. tit. 8. n. 1. fol. 39. & lib. 6. tit. 1. n. 39. fol. 242. Add. Matth. Berlich. P. 3. Conclus. 4. n. 33.*

§. IV. Affinia horum Testamentorum sunt duplicia: Alia ratione Effectus, alia ratione Formæ. Ratione Effectus sunt omnia omninò testamta reliqua, etiam privata fide facta. *n)* Ratione formæ & remissarum cumprimis solennitatum quam proximè ad Judicialia accedit. Utrumque enim publica fide & Auctoritate sustinetur, & unum alteri æquiparatur *in d. l. 19.* Nisi quod illud Judici etiam inferiori, *o)* hoc tantum superiori territorii Domino; illud moribus præprimis hodiernis, non Judici soli sed Assessores & Actuarius simul, *p)* hoc verò soli etiam Principi aut Comiti offeratur. Præterea pertinent huc reliqua privilegiata testamta omnia, ut testamentum Pestis

Affinia.

tempore, item à Rusticis. militibus &c. nec non Parentibus inter liberos conditum, præterquam quod duo posteriora sola Voluntate nudaque scriptura subsistant: nostrum verò Insinuatione seu oblatione, Comitisque receptione demum firmetur.

n) per l. 19. vers. auribus privatorum mentis sua postremum publicavit Judicium. o) vid. c. 2. §. 2. p) vid. Decis. Elect. Nov. 45. & 73.

CAPUT VII.

De Contrariis.

§. I.

An ob defectus & vitia interna vel externa impugnari possit.

ET si quidem oblata testamenta omnium aliorum Testamentorum solennitates superare q) dicantur, non usque tamen eò illud extendendum, ut aut rationē vincant aut legem r) h. e. quasi nullam penitus, ne quidem ratione Substantialium testamentorum exceptionem admittant. Nam quemadmodum in sæpius allegata l. 19. C. de Test. Imperator præter solennitates, ratione testium, masculorum, quodque uno actu continuo perfici non debeant, nil quicquam remisit, s) uti hoc ex verbis finalibus: *Si ei alia nocere non possunt*, abunde colligitur; ita vel maxime requiritur, ut in substantialibus vitium non deprehendatur. Eleganter Hugo Donellus t) ut cœtera testamenta solenniter facta hætenus valent, si non cœtera refragantur, puta, si hoc accedit, ut testator testandi jus habuerit, ut non sint præteriti liberi, qui in potestate testatoris fuerunt; sic & testamentum precibus insertum ita deferet hereditatem heredi testamento scripto, si cœtera quoque concurrant, sine quibus testamentum valere non potest, ex quibus si quid deerit, non magis testamentum valebit quam cœtera privata.

r) arg. l. 2. C. quæ sit longa Consuet. s) Ferdinandus Vasquius de Success. & Ult. Vol. l. 3. §. 26. limit. 31. n. 1. & 2. fol. 305. Sebast. Nævius in System. Jur. Vol. 2. ad L. 19. C. de Testam. num. I. fol. 260. t) in Comment. ad l. 19. C. de Testam. n. 7. fol. 365.

§. II.

§. II. Ad Substantiam s. subsistentiã Testamentorum haud du- *Requisita*
bie pertinet, ut Testamentum ritè confectum, sit Novissimum, *substantialia*
& Liberi in eo non præteriti, vel iniqu; ex heredati sint. &c. Vicia
autem circa requisita hujusmodi substantialia subinde occur-
rentia duplicis constituuntur generis: Interna nimirum & Ex-
terna. Illa sunt, quando vitium in ipso testamento deprehen- *Vitia hujus*
ditur, quod contingit, si testamentum injustum, h. e. non Jure *testamenti*
factum sit, tam ratione Formæ internæ, quoad heredis institutio- *interna.*
nem *u*) & si liberi sint præteriti, vel iniqu; ex heredati *x*) quam
externæ ratione consummationis *y*) & solennitatum. *z*) Nam
etsi hoc nostrum testamentum consuetis solennitatibus non
indigeat, eò tamen certo modo referri poterit, quod in propriã
persona à Testatore offerri debeat. *a*) Hæc sunt quæ testa- *Externa.*
mento in se justo & perfecto, extrinsecus superveniunt, si scili-
cet rumpatur vel irritum fiat. Rumpitur autem *i*) Agnatio-
ne sui heredis *b*) nisi fortasse vivo adhuc testatore rursus de-
cesserit, tunc enim favore ultimarum Voluntatum, pro non-
nato, & testamentum pro non-rupto habetur. *c*) Poste-
riore testamento jure perfecto *d*) quod satis innuunt verba
e) ita demum firmum sit ultimum comprobetur. Ultima enim
voluntas priori derogat, & servanda est *f*) unde & Germanicè
der letzte Wille vocatur. Nec quisquam paganorum pluri-
bus testamentis, (ut quidem Codicillis *g*) decedere potest *h*)
Milites autem possunt; nisi enim in posteriori testamento clau-
sula cassatoria expresse inveniatur, prius æque valet. *i*)

u) arg. §. 34. Inst. de Legat. *x*) l. 3. §. 3. ff. de Injust. rupt. Nov. 115. c. 3. *y*)
quod imperfectum vocatur §. pen. Inst. q. m. t. inf. *z*) l. 1. ff. de in-
just. rupt. l. 4. ff. qui testamenta fac. poss. add. Magnif. Dn. D.
Schvwendendörff. in not. ad Eckolt. lib. 28. Tit. 3. §. 2. *a*) cap. 4.
§. 5. & seqq. *b*) §. 1. Inst. q. m. t. infr. *c*) l. 12. ff. de injust. rupt. &
irrit. *d*) §. 2. Inst. quib. mod. test. inf. l. 2. ff. de inj. rupt. *e*) l. 19.
C. de Testam. *f*) l. 4. ff. de adimend. vel transf. legat. *g*) §. 5. Inst.
de Codicill. l. 6. §. 1. ff. eod. *h*) §. 5. Inst. de Hered. inst. l. 1. §. 4. l. 9. §.
13. ff. eod. l. 41. ff. in fin. de Vulg. & Pupill. Substit. *i*) l. 19. ff. de Te-
stam. mil. Reusn. de Testam. Part. 6. c. 20.

§. III.

An quolibet
testamento
posteriori tol-
li possit?

§. III. Sed quæritur an posterius, quo sublatum censeri de-
beat prius æque Comiti oblatum esse oporteat? Ita quidem,
statuunt Doctorum nonnulli, cum nihil tam naturale sit, quam
eo genere unumquodque dissolvi quo colligatum est *k)* ean-
demque; proinde solennitatem ad revocationem testamenti re-
quiri, quæ in ejus confectione intervenit. Enimvero, Natura-
le quidem hoc est, non autem Essentiale, adeoque nec æquipol-
lens excludit. Cum igitur ratione Effectus *l)* paria sint face-
re testamentum apud Acta & coram septem testibus *m)* meli-
ori cum fundamento asseritur, quibuscunque Jure perfectis
Testamentis hoc ipsum tolli. *n)* Diximus verò jure perfectis;
imperfectorum enim testamentorum nullus plane effectus est.
o) Quare etsi oblatum testamentum in nuda & simplici Volun-
tatis declaratione consistat, quia tamen Authoritate Principis
quasi solennizatur, non quali quali extra judiciali, sed coram Prin-
cipe aut Comite etiam facta revocatione tollitur. *p)* Lapsus au-
tem decennii, qui præter contrariam voluntatem olim requi-
rebatur *q)* ab usu hodierno recessit teste Finckelthufio. *r)*

k) l. 35. ff. de R. J. *l)* vid. §. 4. c. 6. *m)* arg. l. 19. 21. & 27. C. de Testa-
ment. *n)* Carpz. l. 6. Resp. 6. n. 5. Dn. D. Finckelthuf. in Observ.
Pract. Observ. 93. Lauterb. in Compend. ff. Lib. 28. Tit. 3. lit. F. *o)*
§. 2. Inst. q. m. t. inf. *p)* Matth. Berl. P. 3. Concl. 4. n. 39. Daniel Mol-
ler. Semestr. l. 3. c. 22. p. m. 284. *q)* in l. 27. C. de Testam. *r)* in Ob-
serv. Pract. Observ. 93. n. 17. ubi & n. 16. genuinum hujus legis 27. C.
de Testam. sensum ostendit.

An repetendo
ex Scriniis
revocatum
censendum?

§. IV. Sed quid si ex Archivis seu Scriniis Principis testator
repetierit testamentum, an revocatum habebitur? Ita omni-
no dicendum esset, si verba magis quam mentem Imperatorum
respicere velimus, dum dicitur: *s)* Testamenta omnia, cæteraque
quæ apud officium censuale publicari solent, in eodem loco reser-
ventur, nec usquam permittatur fieri ulla translatio. Et à Legisla-
tore Saxonico Augusto in P. 3. C. 3. und leget dasselbe hinter das
Gerichte/ubi condere & deponere testamentum cum effectu
intelligendum videtur, ut depositum dicatur & valeat, quam-
diu

diu non fuerit inde ablatum. Maxime cum mera fide Principis & scriniorum, quasi duobus custodibus, sustineatur, quibus remotis utique fraudis suspicio fidem quoque ei detrahit. Enimvero cum nullibi simplex ablatio Testamenti ex Archivo Principis aut Comitis, modis infirmandi vel revocandi testamentum expresse accenseatur, erubescimus & hic sine lege hoc statuere. *1)* Nam quod *l. 18. C. b.* attinet, de publicatis jam jam post mortem testatorum testamentis loquitur, prohibetque Originalia oblatores testamentorum aliò transferri, sed quia Scriniis Publicis semel à defuncto concredita sint, ejus voluntati quoque non contraveniendum esse, sed post publicationem heredibus & Legatariis, quorum interest, copias saltem, ut loquimur, vidimatas, communicandas esse, quò parata semper fides sit, quoties ipso originali indigeamus. *2)* Serenissimus autem Saxo non dispositive seu præceptive, sed saltem relative, de eo, quod ut plurimum fieri solet, exaudiendus est. Existimamus tamen in facto hic jus positum esse. *3)* Distingvimusque ex *Decis. Elect. Nov. 44.* an expresse inter avocandum, vel coram septem testibus se declaraverit, quod revocatum velit, An nihil horum dixerit. Si expresse revocaverit res expedita est, sin non; dispiciendum, sigillum Judiciale, quo testamentum obfirmatum erat, illæsum sit, nec ne, illo casu valet adhuc testamentum, quocunque demum loco reperiatur, cum aliam etiam, quam revocandi intentionem habere potuerit, prout in dubio favore ultimarum Voluntatum semper præsumitur. Quin & Matth. Berlichius *4)* & cum eo Thom. Maulius *5)* satis esse existimant, si quis testamentum domi factum Judici vel Principi offerat; & ab eodem vel Notario Judicii subscribi vel subsignari petat, ita ut illud statim secum auferre & domum deportare possit, nec necesse esse ut illud penes Acta publica deponat, & ibidem relinquat, sed quod hoc testamentum perinde firmum validumque sit, ac si Actis publicis insinuatum, & ibidem depositum fuisset, E modo

Resp. ad Obj.

modo post mortem testatoris subscriptio & subsignatio à Judi-
 ce vel Senatu facta, recognoscatur, & vera illa saepe teperiatur;
 quia ne unico quidem verbo *in d. l. 19. C. de Testam.* fieret men-
 tio, quod testamentum apud acta deponi debeat, sed solum
 ibi diceretur, quod debeat *Actis intimari, insinuari*, voluntas
 testatoris judici *declarari, publicari, manifestari*. Hæc autem
 omnia posse fieri absque reali depositione. Hoc verò casu,
 si sigillum ruptum fuerit, wenn es erbrochen / testamentum
 pro revocato habetur. Pertinent huc verba memoratæ De-
 cis. Elect. 44. Diemeil aber doch der letzte Wille durch die
 Abforderung ausdrücklichen / wie die Rechte haben wollen /
 nicht auffgehoben: So soll auch solch Testament / wenn die
 Verwahrung und das Gerichts-Siegel daran noch richtig
 und unverleget ist / nochmals vor ein beständiges / Gericht-
 liches Testament geachtet werden. *Monet tamen Serenissi-
 mus sub fin. d. Decisiois: Quod hujuscemodi testamenta post
 Testatoris mortem Judici ad recognoscendum & publicandum
 iterum offerri & proponi debeant, quo omnis omnino suspicio
 evitetur, atque legata, & quæ aliàs ordinata sunt, ad effe-
 ctum suum perducantur.* ibi: Sonsten aber sollen es die
 Erben / nach dessen Tode dem Richter zur Recognition und
 Publication wieder vorlegen und offeriren / damit aller Arg-
 wohn vermieden / die Legata abgestattet / und ander Verord-
 nungen ins Werk gerichtet werden *cc. a)*

f) *lib. 18. C. Testament.* t) *Nov. 18. cap. 5. pr.* u) *Conf. Fin-
 ckelthuf. Observat. Pract. 12. num. 20. & Brunnemann.
 in Comment. C. ad b. l. 18. num. 6. paulo aliter eam ex-
 plicantes.* x) *arg. l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* y) *Part.
 III. Conclus. 4. num. 36. & 37.* z) *de Ultim. Voluntat.
 lib. I. tit. 3. num. 5. pag. m. 81.* a) *Confer Dn. D. Carpz.
 Part. III. C. 3. definit. 31. Dn. D. Philippi ad d. Decis.
 Observat. 3. num. 26.*

§. V.

§. V. Relaxatio autem sigillorum in dubio ab ipso Testa- ^{à quo resi-}
tore facta præsumitur, maxime si testamentum in ipsius bonis ^{gnatio facta}
mortis tempore inveniatur, nisi fortasse suspicio sit contra pro- ^{presumatur?}
ximos ab intestato heredes, quæ tanto magis augetur tum, si
forte hi non obsignari fecerint hereditatem, vel etiam illius te-
norem antè publicationem noverint, aut penes tertium in lo-
co fortè suspecto repertū sit; Nam tunc, nō obstante resignatio-
ne vel etiam rescissione aut cancellatione, sustinebitur, nisi pro-
bare parati sint ab intestato successuri, à testatore aut ejus vo-
luntate rupta sigilla, & testamentum cancellatum vel incisum
esse, ad quod etiam indicia & conjecturas sufficere tradidit Dn.
D. Richter *b)* & Cothman. *c)* Necessè autem est, ut consultò
hoc factum fuerit, non casu, sine voluntate testatoris. *d)* Non
dubitandum tamen! quin etiam subsistat testamentum, si testa-
tor expresse protestatus sit vel aliunde sufficienter probari pos-
sit, quod aliam ob causam, non revocandi animo illud resigna-
verit & aperuerit; *e)* cum præsumtio veritati utiqve cedere
debeat.

b) Decis. 54. n. 8. 9. seqq. fol. 368. *c)* Vol. 2. Resp. 68. n. 61. *d)* l. 30. C. de
Testam. l. 1. §. 3. ff. de his que in testam. delunt. l. 1. §. ff. Si tabb. test.
null. extab. l. ult. ff. de injust. rupt. Brunnem, ad l. 30. C. de Testam.
n. 1. §. 2. *e)* L. 30. vers. sin autem ex alia quacumq; causa. C. de Te-
stam. Conf. Richt. l. c. n. 7.

§. VI. Sed si quis nuncupative saltim *f)* coram Principe ^{Quomodo}
aut Comite testatus sit, & ex intervallo temporis copiam illius, ^{Nuncupati-}
seu potius Registraturæ, ex Archivis communicari sibi sub sigillo ^{vum revoce-}
petat, unter der Canzeley Innsiegel/post mortem autem illius ^{tur?}
detracto sigillo scissum vel cancellatum reperiatur? Cum Ef-
fentia Nuncupativi testamenti non consistat in Scriptura, nec
quævis etiam revocatio expressa illi deroget, sed solennis de-
mum coram septem testibus ad minimum facta *g)* Ergo multo
minus tacita, quæ ex corruptione sigillorum & cancellatione
præsumitur. Nisi vel Originale, seu Principale in Protocollo
Principis aut Cancellariæ deleri curet, vel ore tenus aut in scri-
ptis, oblata nova Supplicatione cassatoria, illud revocet. *h)*

E 2

f) vid.



f) *vid. supra c. 4. §. 3.* g) *Vid. Fridr. Pruckmann. Vol. 1. Consil. 12. n. 220. fol. m. 172.* h) *arg. l. 35. ff. d. R. J. Richt. Decis. 54. n. 7. Pruckmann. Vol. 1. Consil. 12. n. 229.*

Quid si testamentum amissum sit?

§. VII. Si verò plane deperditum fuerit è Scriniis Comitum, vel etiam post mortem testatoris, ante publicationem, quid Juris Qu. Francisc. Mantica i) duobus quidem testibus probari posse, inquit, factum esse testamentum, adhibitasque esse debitas solemnitates, sed duos testes non sufficere ad probandum testatoris Voluntatem, cum quo consentiunt Wesenbec. k) Petrus Surdus l) Raphael Fulgos. m) Sebast. Nævius n) Quod tamen limitat Carpz. o) in Testamento Nuncupativo in Formam Instrumenti redacto, adeò, ut si postea casu amittatur, testesque mortui sint, sufficiat, si duo, etiam extranei, non testamentarii, testes instrumentum viderint & legerint, illiusque tenorem retinuerint, & de Instrumento, in eoque comprehenso testamento, juratò deponant.

i) *Tr. de Ult. Vol. lib. 12. tit. 16. n. 17. fol. 740.* k) *P. 1. Conf. 29. n. 35. § 36.*

l) *Tom. 3. Conf. 278. n. 32. fol. 446.* m) *in Part. 2. C. l. 19. de Testam. n. 2. fol. m. 43.* n) *in Comment. ad l. 19. n. 11.* o) *P. 3. C. 3.*

Def. 41.

Refutantur Negantes mutabilitatem horum testamentorum.

§. VIII. Ex his igitur, quæ hætenus deducta sunt, clarissimè elucet, falsam eorum hypothesin esse, qui negant Testamentum hujusmodi à Comite, dato Rescripto, receptum mutari à Testatore vel impugnari cum effectu ab heredibus legitimis posse, quia per Rescriptum Principis immutabile factum fuisset, adeo ut non magis quam Rescriptum ipsum mutari à testatore privato possit. p) Sed cum supra jam tum ostenderit Rescriptum hic non præceptum aut mandatum, sed testimonium saltem depositionis & receptionis testamenti significare, non video, qui illud impedire mutationem vel impugnationem posset; quin potius in verbis: q) *cum ita demum firmum sit, si ultimum comprobetur &c.* mutatio, & in seqq. verb. final. *si ei alia nocere non possunt &c.* impugnatione expresse permittitur.

p) *Gothofred. ad l. 2. C. quando decret. opus est.* q) *l. 19. C. de Testam.*

§. Ult.

§. Ult. Vidimus hactenus quibus modis testamentum no- *Quomodo*
strum rumpatur, superest adhuc, ut, qua ratione irritum fiat, *irrita fiant.*
paucis subjiciamus. Cum autem hac in parte præ reliquis te-
stamentorum speciebus nihil singulare habeat, sufficet in gene-
re adduxisse, toties testamentum aliquod irritum fieri, quoties
vitium non Testamentum, sed vel Testatorem vel heredem af-
ficit. Et Testatorem quidem omnis Capitis diminutio r))
heredem verò si cum eo non sit testamenti factio, s)) vel si an-
te testatorem decesserit, aut hereditatem repudiaverit. t))

r) §. 4. & 5. Inst. quib. mod. test. inf. s) l. 2. C. de incest. nupt. l. 4. C.
de Heret. t) §. 2. Inst. quib. mod. test. infirm.

S D G.

COROLLARIA.

- I. Datur querela in officiosi Fratribus, turpi persona herede instituta, tametsi eadem turpitudine laborent.
- II. Tutor non nisi ob dolum remotus infamis sit.
- III. Nemo prohibetur tignum ædibus suis junctum evitandi dupli causa eximere & restituere.
- IV. Usufructuarius cedendo usumfructum extra-
neo, illum non amittit, sed saltim nihil agit.

E 3

Ad

Ad
CL. DN. RESPONDENTEM,
Authorem hujus Disputationis Doctissimum,
Civem meum & Consalinum dilectissimum.

RES Tibi cum Comite est, nec Testamenta loquuntur
Hic alium, Comiti tota sacrata Tuo.
Quàm benè! Namque Comes, Patriæ Celsissimus Heros,
Sic Comes esse Tuus, Dux DEUS esse velit.

Gratulabundus ex animo f.
D. VAL. ALBERTI, P. P. & Consistorialis.

EST pulchrum, medios latus perrumpere in hostes,
Bellica deviæ signa referre viri.
Pulchrius est animo, quàm dextris Arma movere:
Talia Diva Themis bella parare solet.
Hujus & in castris HAMMERUS miles habetur;
Vaticinor, poterit munus obire Ducis.

Auditori hæcenus suo perindustrio,
Conterraneo svavissimo,
Amico certissimo

gratulabundus scribebat
D. LEONHARD Baudisß.

*D*um Tua Lipsiacis valedicere Musa Camænis,
Excultæq; abiens linquere mentis opes
Constituit, quantum doctarum acquirere rerum
Contigit, ipsa etiam Lipsia testis erit.
Perge ita, quas animo servas expromere dotes,
Ille feret quondam præmia digna labor.

Hæc
Clarissimo Testamenti hujus Comitialis
DN. AUTHORI
in propensissimæ mentis suæ contestationem,
subscribere voluit.

PRÆSES.

Hinc

^{leni}
Hinc ubi Plissa lavit cum murmure campos
Eunomie nuper roseâ cervice refulgens
Sedit, & Ambrosio referens ingentia vultu
Gaudia, sic fuit ad Pimpleas fata sorores:
O nos felices nimium! Philyrea videtur
Altera nunc Hellas. Nam Pimpla & Castalis undat
Hanc penes uberius charæ pars magna juventa
Aris optatum nostris imponit honorem.
Ecce alios inter, quàm MALLEUS ille labores
Perferat, & varios rerum se formet in usus.
Sponte sua valuit concinnum cudere scriptum
Gratum opus Astræ; docto jam corde volutat
Nobile quod liceat scripto præfigere nomen.
Hinc juvat extemplo nostras expromere mentes
Dixerat. Assensit cœtus (mora nulla) sororum,
Quarum, quæ fandi doctissima, Calliopea
Talia voce refert: Schlesiâ quæ cernere gentem
Contigit, accrescente COMES virtute coruscat,
Prudentem fortemq; Virum qui pectore in uno
Format & ostendit multis virtutibus Orbi
Ex Aquilâ nullam nasci potuisse columbam,
Vix ubi vitales in luminis exiit auras
Exceptusq; fuit venerandis parvulæ ulnis,
Dulcia splendebant virtutibus ora paternis.
Nunc ubi Pierias sublimis crevit in artes,
Magna petit: vulgare nihil placet: omnia celsa
Omnia summa juvant: implebit civibus olim
Egregiè votum miseris, dum mollia terris
Jura dabit pacemq; suis, si fata PARENTEM
Post seros tulerint annos. Huic offerat ergò
Ille suum foetum. Nam quamvis sede locatus
Sublimi, radiet, leto tamen atque sereno

Exci-

*Excipiet vultu, Juvenemq, favore beabit.
Sic ait. Hinc Themis extemplò tam Nobile Nomen
Suggerit HAMMERO, ac magnum sic monstrat amorem:
Maecte animo, maecte egregiis feliciter ausis,
Et summo quondam, Duce me, gaudebis honore.*


Nepoti ex forore
f.

M. JOHANNES Günther / Gryph. Siles.
SS. Theol. Bacc. Fac. Philos. Assessor & Conc.
Sabb. ad D. Nic.

*D*iva tuos spectans oculis Astræa labores,
Gnatus, ait, noster tot pia Jura colit;
Dignus erit Docto qui mox sub Præside monstret,
Quid mens, quidq, humeri, quid quoque scripta queant.
Factum quod voluit, sequitur Testatio mentis,
Quam Rex, vel Comitis suscipit alma manus,
Ceu fons Juris habet, thesibus diducta profundis:
Plaudimus hinc omnes quos Philyrea tenet.
Ipse precor, CELSI COMITIS sit Gratia scripto,
Sit simul Authori, Gratia certa, precor.

Pauculis hisce lineolis Nobilissimum Dn.
RESPONDENTEM, Amicum à teneris æ-
stimatissimum abiturientem gratula-
bundus prosequi conatur

CASPAR TORNAVIUS, Gryph. Sil.
Jur. Cult. N. P. C.









X 2615920

1077







368

1689, 3

B. C. D.
DISSERTATIONEM JURIDICAM
De
**TESTAMENTO
COMITI
OBLATO**

Permissu inclytæ Facultatis Juridicæ
Lipsiensis,
SUB PRÆSIDIO
DN.

GOTHOFREDI BARTHII,

J. U. D. & Practici,
*Præceptoris sui multis nominibus
devenerandi,*
ad d. I. Novembr. Ann. M. DC. LXXXIX.

solenniter proponit
AUTOR
JOHANNES Hammer/
Greiff. Siles.
H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
Typis CHRISTIANI GOEZI.

